



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Irregularitas ex delicto hæresis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

quandò verò potest eodem modo ab alio exerceri, non dicitur exerceri solemniter & ex officio. *Ibid. num. 9.*

63. In irregularitate quam quis contraxit exercendo ordines quos non habebat, solus Summus Pontifex dispensat, ne accedat ad superiores ordines, nam ad ipsum pertinet dispensare in jure communi, & ad Episcopum, modò delictum sit occultum. *Ibid. n. 10.*

Irregularitas ex delicto hæresis.

64. Hæretici, apostatæ à fide vel religione, eorum fautores & defensores, sunt irregulares, etiam si sint occulti; secus dicendum de eo qui exterius hæresim profert, si interius bene sentiat. *Ibid. punct. 7. n. 1. & 2.*

65. Qui pactum ineunt cum dæmone, aut ipsum colunt absque hæresi, non sunt reverà irregulares ex hoc capite, sed ahunde, scilicet ex infamia consurgente ex suspitione hæresis. *Ibid. n. 4.*

66. Ille est irregularis, qui cogitur abjurare hæresim probatam in judicio, vel qui lapsus est in hæresim; secus dicendum de schismatico, cum hæc irregularitas non habeatur in jure. *Ibid. n. 5. & seq.*

67. Filii hæreticorum mortuorum in delicto hæresis, sunt irregulares usque ad secundam generationem per lineam virilem, paternam; per lineam verò maternam, sunt irregulares usque ad primam, *cap. statutum, 2. de hæret.* non videtur tamen filius hæretici esse irregularis, si natus sit ante lapsum parentis in hæresim; sicut nec filii neophytorum, aut descendantium ex Judæis, vel paganis, qui Christiani novi nuncupantur. *Ibid. n. 6. & seq.*

68. In irregularitate ob hæresim contracta solus Summus Pontifex dispensat, etiam si hæresis sit occulta, nam absolutio hæresis hoc tempore est reservata Summo Pontifici: non est tamen improbabilis sententia afferentium clericum conversum ab hæresi posse circa usum ordinumceptorum dispensari ab Episcopo, usque ad Diaconatum inclusivè: imò & Episcopum posse habere dispensandi non solum circa usum ordinumceptorum, verum etiam circa susceptionem ipsorum ordinum etiam per Vicarium, quoad delictum est occultum, ut tenet Trident. *sess. 14. cap. 6. de reformatione. Ibid. num. 12. & seq.*

69 Religiosi egredientes claustrum ad audiendas leges vel medicinam, nisi redierint intra duos menses irregularitatem videntur contrahere, *cap. super specula. lb. n. 17.*

Sunt qui multas alias admittant irregularitates, sed gratis eas contingunt, cum aliæ in iure sufficienter non exprimantur. *Ibidem §. unico, per totum.*

Irregularitas ex homicidio.

70 Intentio occidendi vel mutilandi, non inducit irregularitatem, sed requiritur actualis occisio vel mutilatio hominis, & ut occidens, vel mutilans sit baptizatus & doli capax, quandoquidem actus inducens irregularitatem sit actus humanus. *Ibid. quest. 4 punct. 1. n. 1. & 2.*

71. Clericus, aut alius iuste mutilans, vel occidens, vel cooperans ad mutilationem, vel homicidium secuto effectu, fit irregularis defectu lenitatis, quæ impedit ordines suscipere, & susceptos exercere Et non solum qui occidit, vel mutilat, est irregularis ex defectu lenitatis, sed etiam mortem accelerans, aut causam propinquam mortis dans dicto vel facto. Item iudex inferior Summo Pontifice ferens sententiam mortis vel mutilationis, ejusque assessores, cooperatores, satellites, &c. Notarius scribens vel legens sententiam, consultores in casu aliquo particulari in causa sanguinis, comitantes reum ad supplicium causa securitatis; item qui dicit reo, *ascende scalam, vel suppone caput ad excipiendum iectum*, si ob ipso dicta reus citius mutilatur. Similiter est irregularis, qui actu pugnantibus præbet gladium ad aliquem particularem occidendum, aut qui tradit ligna, quibus hæreticus vivus comburatur: secus dicendum de deferente crimen ad iudicem, aut campanis simpliciter signum dante; aut de fabris ferrariis, vel aliis armorum fabricatoribus, constantibus aut vendentibus gladios ad usus humanos in genere; aut de clericis assistentibus executioni sententiæ; non enim dicuntur ad illum cooperari. Similiter excusatur ab irregularitate, qui oratione deficit litteras quibus mandatur aliquem occidi, vel mutilari. *Ibid. num. 3. & seq.*

72. Ille qui clamavit adesse latrones, sit irregularis, quando suo clamore prævidit fore ut alii accurrerent, illosque occiderent, censetur enim causa mortis. Item qui satellitibus directe, vel indirecte iudicando reum, fuit causa eius reus cape-